

Inter hos baccalaureandos admissos tres pauperes fuerunt, scilicet Georgius Hinler Forchamensis 9, Urbanus Fabri Dinckelspulensis 21, Iohannes Symonn de Ebern 23, qui testibus, quibus fides data est, suam paupertatem probaverunt, et a facultate arcium dimissionem burse propter deum petentes secundum statuta desuper edita gratiose obtinuerunt.

N 35'.
C 113'.

Anno, quo supra, die Martis post festum Mathie in presentatione baccalaureandorum¹⁾ Febr. 26. assumptus fuit ad consilium facultatis arcium mgr. Georgius Krauß de Borcke servatis statutis desuper editis ac principis reformacione, qui pro solacio magistrorum solvit quatuor flor. Ren., viginti tres gr. pro flor. numerando.

Anno, quo supra, die vicesima mensis Aprilis convocata tota facultate arcium tali Apr. 20. tenore: „Reverende magister, adsitis hodie hora undecima in facultatis arcium vaporario ad consulendum super disputationis defectu et ad eligendum novum decanum sub pena non contradicendi“ conclusit tota facultas nullo contradicente subsequens conclusum, quod prius per dominos executores et seniores pariter approbatum erat.

Quandoquidem in confesso sit in ordinariis magistrorum atque baccalaureorum²⁾ disputationibus respondencium quandoque esse penuriam et defectum et tamen hii, qui promotiones et insignia expetunt, perinde atque omnibus responsionibus satis fecerunt, interdum horam, quibus respondisse videri velint, complecionum schedis ||nomina effingant³⁾ potius quam vere adscribant⁴⁾, itaque ut in nichilo negligentes ab diligentioribus distare⁵⁾ quandoque videantur⁶⁾, quo factum est, ut facultas artium sue reipublice atque honestati optime consultum esse summopere exoptans anno domini sesquimillesimo vicesimo primo, die vero vicesima mensis Aprilis convocata tali tenore: „Reverende magister, adsitis hodie hora undecima in facultatis artium vaporario ad consulendum super disputationis defectu et ad eligendum novum decanum sub pena non contradicendi“ conclusit [!] concorditer nullo contradicente, quod quisque baccalaureus⁷⁾ preter eas, quas alioqui sub sessionibus a die sancti Egidii fieri solitis facit, Sept. 1. responsiones ter magistris ordinariis, baccalauriandus vero bis magistris et tocies baccalaureis debet respondisse. Quod si minus egerint, magistrandus pro qualibet neglecta disputatione quattuor gr., baccalaureandus vero duos debet in mulctam prestare, nisi alias in tam multis deficeret, quo minus secum dispensandum foret. Ut autem omnia in lucem offerantur et constare possint, debent singulorum respondencium nomina ab universitatis famulis quam diligentissime consignari et insimul collecta decano pro tempore existenti presentari, qui eadem ad complencium librum, dum tempus exegerit, a clavigeris inquirenda conscribere teneatur.

Reliqua acta sub hoc officio reperies in libro bapireo⁸⁾ et in libro actorum.

1521 Sommersemester. 224. Decan Magnus Hundt von Magdeburg.

N 36'.
C 114'.

Decanatus⁹⁾ venerabilis viri domini Magni Hundt Parthenopei, artium magistri ac medice artis¹⁰⁾ studiosi, ducalis collegii collegiati¹¹⁾.

¹⁾ baccalauriandorum. ²⁾ baccalaureorum. ³⁾ Ursprünglich effingentes, in C korrigirt. ⁴⁾ In C korrigirt aus ascribentias. ⁵⁾ distent. ⁶⁾ apparent. ⁷⁾ baccalaureus. Auch im Folgenden ist immer diese Form gebraucht. ⁸⁾ Ist nicht der Fall. ⁹⁾ In N vor dem Decanat auf Bl. 36' großes Bild. Links steht in ganzer Figur mgr. Andreas, in der Mitte dr. Magnus, rechts mgr. Magnus Hundt der Jüngere. Ueber dem ersten, der im schwarzen Talar erscheint, liest man Iurista, über dem zweiten, der über dem Talar einen grauen Pelzmantel trägt und ein rothes Barett in der Hand hält, steht theologus et medicus doctor. Der Dritte, der als medicus bezeichnet wird, ist mit einem violetten Talar angethan. Andreas und Magnus der Jüngere halten einen Schild, der die untere Hälfte von dem älteren Magnus verdeckt. Der Schild ist wagerecht getheilt, oben roth, unten weiß, im oberen Felde erscheint ein nach links springender weißer Hund, im unteren eine Hausmarke. ¹⁰⁾ medicine. ¹¹⁾ college.